



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Forum Competens Quæstionibus ex Universo Jure
selectis, atque ad praxin utilissimis illustratum, Seu
Tractatus Canonico-Civilis**

Friderich, Melchior

Ingolstadium, 1709

§. V. An privilegio Fori gaudeant Ecclesiæ & Clericorum Ministri laicis,
Uxores, ac Liberi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61662](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61662)

driq. tom. 2. q. 62. art. 2. Sanch. L. 6. in Decalog. c. 16. n. 10. Carol. de Grats. de Effect. Cleric. effect. 1. n. 102. aliósque, Eremitis competit, si in communitate alicujus Religionis approbatæ vivant. Imò, ut volunt Marta p. 4. de Jurisd. cent. 2. cas. 213. n. 4. Squillante l. c. c. 7. dub. 1. n. 44. Marinis l. c. c. 114. n. 4. Duard. L. 2. in Bull. Cœn. can. 15. q. 6. n. 2. Laym. L. 1. tr. 5. p. 2. q. 5. n. 4. illo gaudent, tametsi in communitate Religiosa non vivant, modò factò paupertatis voto vel suscepta obligatione apud Episcopum aliúmve Prælatum Eccles. Ordini, vel Ecclesie alicui, habitum Religiosum deferendo ex obligatione deserviant sub obedientia Episcopi vel alterius Prælati.

257. Ex dictis consequens est, gaudere fori privilegio Equites S. Joan. Hierosol. seu Melitenses, & Teutonicos, cum juxta communem DD. sint verè ac propriè dicti Religiosi, quidquid in contrarium dicant Sarmiento, Sotus, ac alij apud Wagnereck in C. 7. de convers. conjug. not. 2. Et quamvis tales in rigore non essent, attamen propter tria vota substantialia Religiosis accenserentur. Neque dubium est, quòd sint personæ Ecclesiasticæ. An idem dicendum sit de alijs Equitibus, ut S. Jacobi Calatravæ & Alcantaræ, S. Benedicti, S. Augustini, S. Lazari &c. controversum est. Affirmant plurimi, quos referunt & sequuntur Barbosa cit. alleg. 12. n. 45. Delbene c. 1. dub. 11. n. 2. & Sperelli decis. 2. n. 97. ubi n. 120. pro hac opinione affert declarationem S. Congreg. Card.

§. V.

*An Privilegio Fori gaudeant Ecclesia & Clericorum
Ministri laici, Uxores, ac Liberi.*

SUMMARIUM.

258. *Laici Ministri Ecclesiarum & Clericorum non gaudent privilegio Fori.*
259. *Nisi sint de Familia Episcopi.*

260. *Parentes quoque, Uxores, Liberi Clericorum non gaudent.*

258. De Jure communi laicos Ecclesiæ & Clericorum ministros non gaudere fori privilegio, rectè tradunt cum Panor. Felin. & Archidiac. Clarus *L. 5. Sent. §. ult. q. 35. n. 18.* & Suar. *L. 4. defens. Fid. c. 29. n. 10.* tum quòd nullo id Jure cavetur, tum quòd Trident. etiam in Clericis minoribus Ecclesiæ servientibus requirit habitum & tonsuram. Hinc nisi aliunde constet, aliquem, qui Clericus non est, & habitum ac tonsuram non defert, gaudere hoc fori privilegio, dicendum est, quòd non gaudeat. Allegatur quidem pro eorum exemptione *C. ult. de Offic. Archidiac. v. specialibus Archiepiscopi.* Verùm ibi non agitur de Jure scripto, sed de consuetudinario, neque de isto casu, de quo hîc loquimur, ut benè ostendit Emm. Gonz. *incit. C. ult. n. 3.* Profertur etiam *C. 2. de For. comp.* ubi à seculari potestate eximuntur etiam *minores*, qui serviunt Ecclesiæ, per quos, cùm ibidem distinguantur à Clericis, non nisi laicos intelligi posse aliqui existimant. Sed benè ostendit Suar. *l. c. n. 11. ex Can. 5. dist. 93. & Can. 1. dist. 77.* ibi per *minores* exprimi personas Ecclesiasticas nullum ordinem aut tonsuram habentes, quales sunt multi Religiosi; vel tonsurâ primâ initiatos, & Ecclesiæ ministerio addictos. Tertiò producit *Can. 69. 12. q. 2.* ubi Ecclesiarum & Clericorum servi ab angarijs laicorum eximuntur. Verùm ibi per servos non intelliguntur liberi homines & famuli mercede conducti, sed mancipia: hæc autem inter bona computantur, & idcirco sicut alia bona Clericorum exempta sunt à tributis, & sicut ædes, jumenta, & vehicula ab angarijs aliisque publicis oneribus, ita & mancipia. Hinc pariter nihil ad rem facit, quòd juxta *L. 6. §. ult. L. 22. §. L. 27. ff. ad municipal.* ac *L. 2. C. de municip. §. origin.* servi manumissi sequuntur patronorum domicilium & forum: non enim hinc argumentum duci potest ad ministros & familiares Clericorum; hi enim habent proprium suum forum, novi autem illi homines, quia aliud non habent, ideò forum patroni sequuntur tanquam

quam nativum. Quartò denique affertur *c. 5. sess. 14. Trident. de Refor.* Sed ibi solùm contra injurias muniuntur duo familiares ejus, qui literas conservatorias à Pontifice impetravit; non verò eximuntur à jurisdictione seculari, si ipsi delictum commiserint.

259. De consuetudine tamen fori privilegio gaudet familia Episcopi, seu illi, qui ejus obsequijs & ministerio sunt addiçti. Et quidem non tantùm quoad delicta circa officium commissa, ut volebant Pereira ac alij nonnulli, sed etiam quoad alia, ut post Host. Joan. Andr. Butr. Imol. Archidiac. & Panor. tradunt *Clar. cit. §. fin. q. 35. n. 18. Farin. tit. de Inquis. q. 8. n. 46. Marta de jurisd. p. 4. cent. 20. cas. 3. n. 2.* ac alij communiter. Et declaratum sapiùs esse à S. Congreg. Card. refert Delbene *c. 4. dub. 9. n. 10.* ac decisum à Paulo V. & Urbano VIII. testatur Diana *p. 6. tr. 2. resol. 4. §. seqq.* Idque ad familiam etiam Vicarij Generalis Episcopi extendit Riccius *in prax. tom. 1. resol. 471. n. 6.* cum Squillante, Novario, Diana, ac alijs: quia Vicarij & Episcopi est unum tantùm tribunal & jurisdicçtio, ac velut una duntaxat persona. Ex quo tamen solùm sequitur, quòd hoc procedat de familia Vicarij quàm Vicarij, seu de ijs, qui in officio Vicarij ministri sunt. Idem familiæ laicæ Episcopi Titularis Ciarlinus *Contr. For. c. 20. n. 19. Delbene l. c. dub. 17.* ac alij concedunt, & rursus afferunt declarationem S. Congreg. Card. Idem extendunt ad familiam Cardinalium, nec non Nuntij Apostolici, cùm hic in sua provincia habeat jurisdictionem ordinariam, æquè ac Episcopus in sua Dioecesi, ac sit supra Ordinarios, utpote vices gerens SS. Pontificis *C. 2. de legat. in 6.* Idem denique ad familiam Prælati territorium peculiare & jurisdictionem quasi Episcopalem in laicos habentis: cùm etiam iste sit Ordinarius & ab Episcopo non jurisdictione, sed solùm consecratione differat.

260. Aliorum Clericorum famulos, uxores, parentes, filios laicos, hoc fori privilegio neutiquam gaudere asserendum est cum communi contra Tiraq. ad *leges commub. gloss. 2. n. 54.* ac Diana *p. 3. tr. 1. resol. 7.* aliòsque, quos allegant. Nec enim jus com.

commune nec consuetudo iisdem assistit. Imò resistit Trident. sess. 23. c. 6. de refor. dum ipsis etiam Clericis minores solum Ordines & beneficium non habentes hoc privilegium non concedit, nisi habitum & tonsuram deferentes alicui Ecclesie inseruiant, aut in studijs cum licentia Episcopi versentur. Multò igitur minùs concedit illis, qui ne tonsuram quidem primam habent. Neque obstat, quòd exemptio à tributis concessa Clericis communicetur etiam ipsorum uxoribus *L. 2. C. de Ep. & Cler.* hoc enim non ampliùs procedit Jure novo *C. un. de Cler. conjug. in 6.* & Trident. *l. c.* ubi Clericis conjugatis solum fori privilegium, & quidem solum in criminalibus, non verò exemptio à tributis conceditur. Neque verum est, quod asserunt, privilegium domino concessum competere omnibus, qui sunt de ejus familia. Ad *C. fin. de Offic. Archid.* quod hunc in finem allegant, respondi suprà *n. 256.* Pariter non valet, quod cum Gloss. in *C. admonere 8. 33. q. 2.* ajunt, quæ marito conceduntur, concedi etiam uxori; & uxorem sequi forum mariti *L. cum quædam. ff. de Jurisdic.* nam sensus duntaxat est, quòd uxor sequatur domicilium mariti, & gaudeat privilegijs, quæ merè personalia non sunt, uti merè personale est privilegium fori, utpote Clericis solum ratione Statùs & Ordinis concessum, sicut privilegium canonis, quo uxores & liberos Clericorum non gaudere certum est, & ipsi etiam adversarij fatentur. Illud admittendum est, quod declaratum à S. Congreg. Immun. refert Barbof. *L. 1. Jur. Eccles. c. 39. §. 2. n. 62.* Clerici filium legitimum ante clericatum susceptum gaudere privilegio fori durante vitâ patris: siquidem illa declaratio authenticè proferatur.

§. VI.

An Clerici teneantur servare Leges Civiles.

SUMMARIUM.

261. Declaratur, ad quas Leges Civiles servandas non obligentur Clerici.

Cc 2

262.